St. Dr.

40178

I

OFFICIVM
Gratiarum actionis,

Pro victoria ex Turcis obtenta M. DC. XXI. die 10. Octobr.

Sub ritu duplici celebrandum.

A Sacra Rituum Congregatione recognitum & approbatum.

Auctoritate Ill^{mi} & Rn̄d^{mi} Dn̄i,

D. IOANNIS WĘZYK,

Archiepiſcopi Gneſn̄: L. N. R. P. P. Primiq; Principis,

Editum.

CRACOVIÆ,

In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typographi. Anno Domini, 1635.

OFFICIVM
Gratiarum actionis,
Pro victoria ex Turcis obtenta, 1621. *die* 10. *Octobris.*

Ad Vesperas.

CAntemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare. Psal. *Dixit Dominus.*
Antiph. Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine: dextera tua percussit inimicum. Psal. *Confitebor tibi.*
Antiph. Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore. Psal. *Beatus vir.*
Antiph. Iusti decantauerunt, Domine, nomen sanctum tuum, & victricem manum tuam laudauerunt pariter. Psal. *Laudate pueri.*
Antiph. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo IESV meo. Psal. *Laudate Dominum omnes gentes.*

Capitul: 2. *Cor.* 1.

BEnedictus Deus, & Pater Domini nostri IESV Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

HYMNVS.

SVpreme regum Rex bone,
Fons pacis & victoriæ,
Deus Pater ſperantium,
Vltor ſuperbientium.
Ad iuſſa cuius turgidæ
Maris procellæ ſubſident:
Iras leones exuunt,
Sol ſtat ſtupens, nec ſe mouens.
Quo fulgurante deſuper
Gentes feroces expauent:
Hoſtes tremunt, mali fremunt,
Boni triumphant gaudio.
Tu barbaros Oſmanicos
Apros, fugas è vinea:
Poloniæ Regnum tuæ
A clade dira vindicans.
Ergo tuo celſiſſimo
Sit nomini laus gloria;
Qui trinus, ac vnus Deus,
Per ſæcla viuis omnia, Amen.

℣. Sancti per fidem fortes facti ſunt in bello.
℟. Caſtra verterunt exterorum.

Ad Magnificat Antiph.

Benedictus Dominus Deus noſter, qui docet manus meas ad præliũ, & digitos meos ad bellum.

ORATIO.

DEus, qui in ſummis Regni noſtri periculis antiqua brachij tui miracula renouâſti:

nouâsti: suscipe gratiarum actiones exultantium populorum: & quibus tanti gaudij causam præstitisti, perpetuæ fructum concede lætitiæ. Per Dominũ nostrũ &c.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Regẽ qui redimit de interitu vitã: Venite adoremus. Psal. Venite exultemus.

Hymnus. vt in primis Vesp.

In primo Nocturno Antiph.

FOrtitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.

Psal. *Domine Dominus noster.*

Antiph. Dignus es Domine accipere gloriam, honorem, & virtutem. Psal. *Cæli enarrant.*

Antiph. Tua est Domine, magnificentia, & potentia, & gloria atq; victoria. Psal. *Domini est terra.*

℣. Benedic anima mea Domino.

℟. Et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius.

Lectio I.

De libro secundo Machab. Cap: 15.

ET Nicanor quidem cum summa superbia erectus, cogitauerat commune trophæum statuere de Iuda. Machabæus autem semper confidebat cum omni spe auxilium sibi à Deo affuturum: & hortabatur suos, ne formidarent ad aduentum nationum, sed in mente haberent adiutoria facta de

cœlo, & nunc ſperarent ab omnipotente ſibi af-ſuturam victoriam. Et allocutus eos de lege, & Prophetis, admonens etiam certamina, quæ fece-rant priùs, promptiores conſtituit eos: & ita ani-mis eorum erectis, ſimul oſtendebat Gentium fal-laciam, & iuramentorum præuaricationem. Sin-gulos autem illorum armauit, non clypei & haſtæ munitione, ſed ſermonibus optimis, & exhorta-tionibus. Exhortati itaque Iudæ ſermonibus bo-nis valde, & de quibus extolli poſſet impetus, & animi iuuenum cõfortari, ſtatuerunt dimicare, & confligere fortiter, vt virtus de negotijs iudicaret.

℟. Facile eſt concludi multos in manu pau-corum, & non eſt differentia in conſpectu Dei cœ-li: Liberare in multis & in paucis. ℣. Non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cœlo fortitudo eſt. Liberare. Lectio II.

ET cùm iam omnes ſperarent iudicium futu-rum, hoſteſq; adeſſent, atque exercitus eſſet ordinatus, beſtiæ, equiteſq; oportuno in loco cõ-poſiti: conſiderans Machabæus aduentum multi-tudinis, & apparatum varium armorum, & fero-citatẽ beſtiarnm, extendens manus in cœlum, pro-digia facientem Dominum inuocauit, qui non ſe-cundùm armorum potentiam, ſed prout ipſi pla-cet, dat dignis victoriam. Dixit autem inuocans hoc modo: Tu Domine, qui miſiſti Angelum tu-um ſub Ezechia Rege Iuda, & interfeciſti de Ca-ſtris Senacherib centum octoginta quinq; millia; & nunc dominator cœlorum mitte Angelum tuũ

bonum

bonum ante nos, in timore & tremore magnitudinis brachij tui, vt metuant qui cùm blaſphemia veniunt aduerſus ſanctum populum tuum.

℟. Quis ſimilis tui in fortibus Domine, quis ſimilis tui? Magnificus in ſanctitate: Terribilis, atque laudabilis, & faciens mirabilia. ℣. Dux fuiſti in miſericordia populo, quem redemiſti. Terribilis &c.

Lectio III.

NIcanor autem, & qui cum ipſo erant, cum tubis & canticis admouebant. Iudas verò & qui cum eo erant, inuocato Deo per orationem, congreſſi ſunt: manu quidem pugnantes, ſed Dominum cordibus orantes, proſtrauerunt non minùs triginta quinque millia, præſentiâ Dei magnificè delectati. Cùmque ceſſâſſent, & cum gaudio redirent, cognouerunt Nicanorem ruiſſe cum armis ſuis. Facto autem clamore, & perturbatione excitatâ, patriâ voce omnipotentem Dominum benedicebant. Itaque omnes communi conſilio decreuerunt, nullo modo diem iſtum abſque celebritate præterire.

℟. Procedebant viginti quatuor ſeniores ante ſedentem in throno, & adorabant viuentem in ſæcula ſæculorum. Et mittebant coronas ſuas ante thronum. ℣. Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, honorem, & virtutem. Et mittebant. Gloria. Et mittebant.

In ſecundo Nocturno Antiphonæ.

ADonai Domine, magnus es tu, & præclarus in virtute tua, & quem ſuperare nemo poteſt.
Pſal. *Omnes gentes plaudite.*

Antiph. Non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cœlo fortitudo eſt. Pſal. *Magnus Dominus.*

Antiph. Vir obediens loquetur victoriam, vir impius procaciter obfirmat vultum ſuum.

Pſalm. *Deus iudicium tuum.*

℣. Iſte Deus meus, & glorificabo eum.

℟. Deus patris mei, & exaltabo eum.

Lectio IV.

SIGISMVNDO Tertio REGE, Oſmanus Turcarum tyrannus, immenſis ex Europa, Aſia, Africa, contractis copijs, Tartarorum etiam Principe, qui longè maiorem iuſto ducebat exercitum, in belli ſocietatem accito, Reipublicæ Chriſtianæ vaſtitatem atque excidium minitans, in Poloniam mouit. Tanti aduentantis hoſtis fama minimè cõſternatus SIGISMVNDVS, cùm ſciret non in multitudine exercitus victoriam, ſed de cœlo eſſe fortitudinem, ope diuina ſuppliciter implorata, Dei genitrice, Regnique Patronis conciliatis, fortiter, conſtanterque bellum ſuſcepit.

℟. Tu venis ad me cum gladio & haſta & clypeo: Ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum. ℣. Dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum. Ego autem venio.

Lectio V.

Præmiſſu

PRæmiſſus ad fines Poloniæ non maximo numero exercitus, qui hoſtem ſuſtineret, dum SIGISMVNDVS omnem Regni nobilitatem trahens adueniret. Caſtra in hoſtili ditione ad Chocimum poſita, vt bellum potiùs inferre, quàm illatum repellere Poloni viderentur. Decies, & quidem comite ſemper victoria, acie pugnatum: toties à caſtrorum oppugnatione ingenti cum clade reiectus hoſtis: toties erupêre noſtri feliciter: Turcarum ſtationes proſperè toties incurſauere: vt Dominum exercituum à nobis ſtare apertiſſimè pateret.

℟. Perſequabatur vnus mille: Et duo fugabant decem millia. ℣. Nonne ideo quia Deus ſuus vendidit eos, & Dominus concluſit illos? Et duo.

Lectio VI.

FRacta tandem, tot cladibus inflictis, Oſmani contumacia, cùm ſe fruſtra aduerſus Deum pugnare intellexiſſet, ad ipſos Poloniæ fines eodem in loco menſem integrum, eoque amplius hæſiſſet inglorius, ſexaginta militum millia cæſa deſideraret, maiorem longe numerum belli incõmoda abſumpſiſſent, ſtratos ſuorum cadaueribus vndique campos cerneret, ipſe iam SIGISMVNDVS cum Poloniæ flore maioribus copijs immineret: qui bellum intulerat, pacem expetijt. acceptiſq; cõditionibus Sexto Idus Octobr: prior caſtra mouit, ex appetita armis Polonia nihil omnino præter ignominiam & dedecus reportaturus. Is dies, in tanti beneficij memoriam, vt Deo

ſacer, feſtuſq; Poloniæ, ac ſolemnis perpetuò in poſterum foret, SIGISMVNDVS ipſe REX, Regniq; Antiſtites à Gregorio Quintodecimo impetrauêre. Mox VLADISLAO, qui parenti ſucceſſerat, & in caſtris tempore belli fuerat, vt proprio ac peculiari officio, ad gratias agẽdas accommodato, horas Canonicas eodem die Polonia perſolueret; VRBANVS Octauus indulſit.

℟. Dextera tua Domine magnificata eſt in fortitudine: Dextera tua Domine percuſſit inimicũ.

℣. In multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti aduerſarios tuos. Dextera tua. Gloria. Dextera tua.

In tertio Nocturno, Antiphonæ.

ÆDificauit Moyſes altare, & vocauit nomen eius Dominus exaltatio mea.

Pſalm. *Cantate Domino canticum nouum.*

Antiph. Dominus conteret bella, Dominus nomen eſt illi. Pſalm. *Dominus regnauit.*

Antiph. Dominum formidabunt aduerſarij eius, & ſuper ipſos in cœlis tonabit.

Pſalm. *Cantate Domino canticum nouum: quia.*

℣. Benedic anima mea Domino.

℟. Domine Deus meus, magnificatus es vehementer.

Lectio VII.

Lectio S. Euangelij ſecundũ Lucã. *Cap*: 21.

IN illo tempore; Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Cùm audieritis prælia & ſeditiones, nolite terreri: oportet enim primùm hæc fieri; ſed nondum ſtatim finis. Et reliqua.

Homil.

Homilia sancti Gregorij Papæ.

Homil: 35. in Euang.

DOminus ac Redemptor noster, perituri mundi præcurrentia mala denũciat: vt eò minùs perturbent venientia, quò fuerint præscita. Minùs enim iacula feriunt quæ præuidentur: & nos tolerabiliùs mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur. Ecce etenim dicit: Cùm audieritis prælia & seditiones, nolite terreri: oportet enim primùm hæc fieri, sed nondum statim finis. Pensanda sunt verba Redemptoris nostri, per quæ nos aliud interius, aliud exterius passuros esse denuciat. Bella quippe ad hostes pertinent, seditiones ad ciues. Vt ergo nos indicet interius exteriusque turbari, aliud nos fatetur ab hostibus, aliud à fratribus perpeti.

℟. Reddidit Dominus iustis mercedem laborũ suorum, & deduxit eos in via mirabili: Et fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctẽ.

℣. Transtulit eos per mare rubrum, & transuexit eos per aquam nimiam. Et fuit illis.

Lectio VIII.

SEd his malis præuenientibus, quia non statim finis sequatur, adiungit. Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum; & terræ motus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terroresque de cœlo, & signa magna erunt. Vltima tribulatio multis tribulationibus præuenitur: & per crebra mala quæ præueniunt, indicantur mala perpetua, quæ subsequentur. Et ideo post

bella

bella & seditiones non statim finis: quia multa debent mala præcurrere, vt malum valeant sine fine nunciare.

℟. Iusti tulerunt spolia impiorum, & decantauerunt, Domine, nomen sanctum tuum:

Et victricem manum tuam laudauerunt pariter.

℣. Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium facit disertas. Et victricem. Gloria. Et victricem.

Lectio IX.

SEd cùm tot signa perturbationis dicta sint, oportet, vt eorum cōsideratione breuiter singula perstringamus: quia necesse est, vt alia è cœlo, alia è terra, alia ab elemētis, alia ab hominibus patiamur. Agit enim: Surget gens contra gentem, ecce perturbatio hominum: erunt pestilentiæ, ecce inæqualitas corporum: ecce fames, ecce sterilitas terræ, terroresque de cœlo & tempestates, ecce inæqualitas corporis. Quia ergo omnia consumanda sunt, ante consummationem omnia perturbantur: & qui in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur, vt impleatur quod dicitur, & pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.

Te Deum laudamus,

Ad Laudes & per Horas, Antiph.

Cantemus Domino. vt supra in 1. Vesp.

Capitul: 2. *Cor*. 1.

Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

Hymnus.

HYMNVS.

REx magne, Rex altissime,
Virtutis è Throno tuæ
Æternitatem patiens,
Et regna mundi transferens.
Quàm sunt inaccessæ tui
Profunditates consilij!
Vt est procul cœlum solo,
Arcana sic procul tua.
Trax en, furoris ferrea
Qui virga diuini fuit,
Nunc ipse pœnas acriter
Iussu tuo, demens, luit.
Sic corda, quando cæteris
Cœdem superbè detonant,
Cæduntur, & casu suo
Dei timorem prædicant.
Patri Deo sit gloria,
Eiusque soli Filio,
Cùm Spiritu, qui perpeti
Mundum regit custodiâ. Amen.

℣. Non est similis tui in dijs Domine.
℟. Et non est secundum opera tua.

Ad Benedictus Antiphona.

Benedicimus Deum cœli, & coram omnibus viuentibus confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. Oratio, vt supra ad Vesp.

Ad Tertiam Capitulum. 2. *Cor.* 1.

BEnedictus Deus & Pater Domini IESV Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

℣. Iusti decantauerunt, Domine, nomen sanctum tuum. Iusti.

℟. Victricem manum tuam laudauerunt pariter. Nomen. Gloria. Iusti.

℣. Adorabant sancti viuentem in sæcula.

℟. Et mittebant coronas suas ante thronum Dei.

Ad Sextam, Capitulum. *Sap. 12.*

O Quàm bonus & suauis est, Domine, Spiritus tuus in omnibus; ideoque eos qui exerrant, partibus corripis, & de quibus peccant admones, & alloqueris, vt relicta malitia credant in te Domine.

℣. Adorabant Sancti, viuentem insecula. Adorabant.

℟. Et mittebant coronas suas ante thronum Dei. Viuentem. Gloria. Adorabant.

℣. Dignus es Domine Deus noster.

℟. Accipere gloriam, honorem, & virtutem.

Ad Nonam, Capitulum.

TV autem dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos: subest enim tibi, cùm volueris, posse.

℣. Dignus es Domine Deus noster. Dignus.

Accipere gloriam, honorem, & virtutem. Domine. Gloria. Dignus.

℣. Ab insurgentibus in me exaltabis me.

℟. A viro iniquo eripies me.

In secundis Vesp. omnia vt primis, exceptâ Antiph. ad Magnificat.

Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ, si decreueris saluare Israël.

Missa de SS. Trinitate, cum secunda Orationē pro Gratiarum actione.